Siber, Urban Gottfried, 1669-1741

Canem e templis exterminandum iuxta leges eccles. ostendit Urb. Gottfr. Sieber

Lipsia 1720

CANEM
E TEMPLIS EXTERMINANDUM
JUXTA LEGES ECCLESIASTICAS

OSTENDIT

URBANUS GODOFR. SIBERUS,
SACERDOS LIPS.

LIPSIAE
Sumptibus FRIDRICI LANCKISII.

TOTIUS DISSERTATIONIS COMPENDIOSA ENARRATIO.

§.1 Anis omnium animantium & laudatissimum, & vilissimum. 2) Ob quasdem virtutes magni habetur. 3) Ob vitia multo plura ludibriis exponitur. 4) & ad ignominiam aliis inferendam adhibetur, ne Sacro quidem ordine excluso, 5) exemplo obvio, Canis in Sacrum Confessionis tribunal projecti, qua de re Speneri Consilium extat. 6.) Canis jure e templis profligatur, idque Gentium, Græcorum, Turcarum consensu 7) neque tantum ob solam spurcitiem, sed ob leges divinas, 8) quæ canem a censu focoque sacro removerunt, quod contra Jo. Clericum asseritur. 9) Rationes Spenceri de cane e Sacris Judaciis profligato non contemnendæ, 10) ideo quod Ægyptii, e quibus Judei digressi, κυνολατραι essent, 11) etsi sub Cane, cœleste sydus venerarentur. 12) Nec tamen negandum Numini occultas nobis rationes fuisse. 13) Idem Canis contemtus in Sacris novi Foederis permansit, 14) quia Christiani veteres Judæorum puritatem imitabantur, nec ullus canem comitem habebat, præter Simonem Magum. 15) Unde non verosimile, ipsos in Proseuchas suos adduxisse canes, quia id persecutionis tempore periculosum. 16) nec data pace illud esse factum, e remotione τῶν ἀλογευσαμένων colligitur. 17.) elaborabant enim Præsules, ut templa sua maximam Sanctitatis opinionem haberent, 18) quo fine Consecrationes 19) & Reliquiæ Martyrum inventæ, 20) Agapæ 21) emtiones & venditiones, 22)

Clericorum Conjugatorum habitationes in templo 23) & Brutorum animantium quorumvis introductio in Concilio Trullano proscripta, cujus 24) Canon explicatur. 25) Unde etiam columbæ exulare jussæ 26) & ipsi Canes Concilio Aquisgranensi proscripti, ne aræ per τὴν ἔκκρισιν *profanarentur, qua occasione non nulla de flagellatione altarium & statuarum per Christianos irreligiose facta, tum de Campis Caninis referuntur, & Christianus Lupus Iprensis minus commodus Canonis Interpres notatur. 27) Rationes Patrum Aquisgranensium laudantur. 28) Hinc Sacerdotibus de canibus non alendis Leges datæ, quas tamen cum S. Ludgero, & Paulo II. Pontifice transgrediuntur, de cujus canino amore Campani carmen profertur. 29) Ratio profligandi canes a S. Cæsario ostensa, non improbatur. Ostensio Crucis & magica proscriptio, qualem Constantinus apud Constantinopolitanos adhibuit rejicitur. Citatio & excommunicatio irridetur; 31) igitur mediis ordinariis canum propulsio facta, nunquam vero per Diaconos 32) sed probabiliter per Ostiarios, de quorum officio ex libris ritualibus paucis agitur. 33) In nostris Ecclesiis per conductos Canum Lorarios, quorum desidia notatur. Pragæ Bohemorum per vetulas Ecclesiæ stipendiarias isto officio sine dedecore perfuncturas.*

I. In-



I.

INter omnia prope animantia vix ullum deprehendas, quod tantam vel laudis vel vituperii ignominiæque materiam præbuerit, atque CANIS: quorum illud ex vigilantia, fidelitate, fortitudine, obsequio, adulatione, & veluti quodam rationis usu: alterum ex impudentia, inhospitalitate, salacitate, impuritate, sordibus, rabie factum fuisse, certo credi debet.

De Canibus Johannes Cajus Anglus libellum lectu dignum composuit, qui nuper Londini cum Thomæ Johnsonii libello de Cura Canum, una cum Gratio & Nemesiano Fracastorii carmine pastoritio, quod inscribitur Alcon, editus est An. 1700. Ceterum quæ ad Canum naturam pertinent accurate pariter, copioseque exhibet Samuel Bochartus Hieroz. T. I. p. 683. e quo unicum illud fidelitatis caninæ exemplum promo: Hodie Lutetiæ Parisiorum vivit canis, qui Domini in S. Innocent cœmeterio sepulti tumulo jam per triennium incubuit nec ullis inde blanditiis abduci potuit. Quin a nonnullis vi abstractus & ad aliam partem urbis translatus ibique aliquandiu detentus, quam primum fuit sui juris, pristinam stationem repetiit, Domini cadaveri, ut videtur, tandem immoriturus, nisi obstet vis major. Res, anno quo hæc scribo Chr. M DC LX. ideo visa mirabilior, quod in illo cœmeterio per hyemales menses nix fuit altissima, & frigus intensissimum. Si de tam fidi Canis victu Lector est sollicitus, sciat locorum accolas rei novitate perculsos huic abunde prospicere, pane & aqua ad tumulum, cui assidet, subinde missis. Huc usque Bochartus. Fortitudo Canum Hispanis contra Americanos explorata est, a quibus in aciem ducti, stipendioque dato ad prælium accensi fuere, teste Montaignio sic tradente pag. 432. on leur donnoit charges non d'un mouvement simple, mais de plusieurs diverses parties au combat: come faisoient aux chiens les Espagnols a la nouvelle conquestes des Indes,

des,

des, auxquells ils payoient de soldes & faisoient partages au butin. Et monstroient ces animaux autant d' addresses & de jugement a poursvivre & arretêr leur victoïre, a charger ou a reculer selon les occasions a distingver les amis des ennemis, comme ils faisoient d' ardeur, & d' asperite. Quo pertinet mirum Henrici VIII. Angliæ Regis factum, Carolo V. Imperatori, cum quadringentis militibus CCCC. canes in auxilium adversus Galliæ Regem mittentis, quod ex legati Anglici literis ad Poloniæ Regem refert Olaus Magni Hist. Septent. L. XVII. C. VII. & post eum Vossius de Idolol. L. III. c. 56.

Quod ad rationis umbram in canibus deprehensam pertinet, laudatus Montaignius Syllogismum canis, Cœcum ducentis sistit, a Chrysippo olim observatum, tantoque artificio compositum, quasi Canis Trapezontii Scholas Dialecticas frequentarit. Ce traint purement Dialecticien, & cet usages des propositions diverses & conjoinctes, & de la suffisante enumeration de parties, vaut il pas autant que le chien le scache de soy que le Trapezonce? si ne sont pas les bestes incapables d' estre encore instruites a nostre mode.

Inhospitalitatis argumentum mira ista ferocia præbet, quâ tum in æquales bestias, tum ea, qua in homines sibi per familiaritatem nondum cognitos feruntur. Exemplum obvium in Insula, quæ a Ferdinando de Norogna nomen accepit, satis alias commoda, omnibusque bonis abundante, sed ideo tantum inhabitabili, quod Canes Angli, vel per incuriam vel invidiam olim in ea relicti miraque fœcunditate aucti, omnes exteros ab accessu arcent. Auctor Relationis de Inquisitione Goana Cap. 41. p. 112. inquit: elle est inhabitable depuis que quelques Anglois y ont laisse de Dogves expres, au par hazard; ces animaux ont si fort multipliée, & sont devenue si cruels, & si sauvages, qu'on n'y peut plus descender; sans s' exposer au danger evident d' étre devoré.

II.

E virtutum consideratione pretium existimatioque tantopere crevit, ut agmina eorum non vili tantum vulgo, sed regibus etiam

Prin-

Principibusque cara forent, edictisque * propterea ac privilegiis defenderentur, quin ipsis etiam Sacerdotibus tanquam imitationis exemplar proponerentur.

* *Legi hac de re merentur Capitula Dagoberti, Francorum Regis, Alemannis data Cap. LXXXII. ubi sane mirandum, homini, qui canem invasorem trucidasset, jurisjurandi Religionem extortam esse, illam cædem non invidia, sed defensionis gratia perpetratam esse. Canem Sacerdotibus in exemplum sisti posse non sine sacra auctoritate dicimus: cui innitentes plurimi Patrum, istud simulacrum commendarunt. Nonnunquam etiam ipsum Numen igneam quorundam indolem sub Canis specie præfigurasse dicitur: quum Historici tradant Bernardi Clarævallensis matrem isto suo fœtu gravidam, per somnium canem album, rufo tergo notatum parere sibi visam fuisse. Cui somnio filius egregie respondit, omnium novaturientium tantus inimicus, ut quosdam etiam interque eos Abelardum, Gilbertum, Arnoldum Brixiensem temere allatrasse putetur; qua de re Franciscus Amboisius in Præfat. Op. Abelardi legendus. Idem S. Dominici matri evenisse Sodales ejus contendunt, addito, Canem ardente facula ori indita, armatum apparuisse. Atque illo emblemate tantopere adhuc exultant, ut non solum in trophæis Inquisitionis Hispanicæ, teste Limborchio accurato illius enarratore, sed omnibus etiam Dominici monasteriis præfigatur. Sunt & inter Reformatos, quibus illud canis Simulacrum ad laudes suorum explicandas placuit: unde Coccejus placidissimo alias ingenio præditus Maccovio justa faciens ejus acerbitatem isto symbolo veluti contexit. Sollicite tamen circumspiciendum, ne comparationes istas nimium extendamus, auditorumque animos, qui accendi debebant per Claudianam insipientiam in frigus conjiciamus: Id quod aliquando Ludovico Maimburgio in Collegio Claramontano Jesuitarum dicenti contigit: qui ad Pastoritium Davidis munus conversus, Canem illius mira fictione asseruit, Domino cum Goliatho decertante, Lupos interea consectatum esse: Inde ad comparationem Sacerdotum cum Canibus progressus, quatuor Canum genera prolixissime & frigidissime enarravit interque*

eos

eos tandem Jesuitas esse præstantissimos maximo cum adstantium ludibrio professus est. Vid. Præf. de la Defense de la traduction du Nouveau Testament imprime a Mons contre les Sermons du Pere Maimbourg Jesuite. p. 6.

III.

Ex vitiorum obtutu contemtus emersit talis, ut abjectissimi quique mortalium, suppliciove destinati, vel projicerentur canibus vel canis gestatione omnium ludibrio * exponerentur, atque tum demum publica notati infamia crederentur, si caninæ indolis aliquid ipsis inesse commonstrari posset.

* *Mirabilis pœna Alemannis a Dagoberto Rege imposita, si cujuspiam canis hominem occidisset, neque ille mulctam pro cæso solvere vellet. Omnia ostia sua claudantur, & per unum ostium semper intret & exeat, & de illo limitare novem pedes suspendatur canis, usque dum totus putrescat, & ibi putridus cadat & ossa ipsius ibi jaceant: per alium ostium non intret, nec exeat: & si canem ipsum inde jactaverit, aut per alium ostium intraverit in casam, ipsum Weregildum medium reddat. Baluz. Capitul. Reg. Fr. T. 1. p. 84. & 85.*

Militibus Domino suo fidem ex feudo debitam negantibus hanc olim pœnam fuisse dictatam Arnoldus Lubec. Chron. Slav. L. VIII. Cap. II. docet, quingentos sistendo, qui de loco perpetrati sceleris usque ad fores majoris Ecclesiæ Caniculum perferrent. Leibn. Scr. Brunsv. T. 3. p. 726.

Novum illud pœnæ genus fœminis adulterium committentibus dictavit Boleslaus Poloniæ dux finiente seculo XI. nempe ut ademta prole, canum catulos suis uberibus lactarent, teste Cromero de Rebus Polon. L. IV. indignante propterea Papebrochio in vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis, quamvis factum illud laude non careat, sed rationi maxime sit conveniens, impudicas, promiscuo, caninoque coitu gaudentes, caninis ludibriis destinari.

IV.

Ex Foro civili consvetudo aliis per Canis gestationem illudendi in Ecclesiam transiit, unde eos, qui partium studiis scissione facta ab

ab aliis dissentirent, a rerum potentibus hac contumelia notatas legimus.

Augustinus Hipponensis L. 3. Cap. VI. contra Parmeniani Epistolam ostendit, Salvium Membresitanum Maximianistam, a Primianistis hoc dedecore affectum, ut ejus cervici canum mortuorum cadavera colligarent, atque tanta ratione dedecoratum saltare cogerent. Quod quanta cumignominia fuerit conjunctum ipse Augustinus effert: Thuscorum tyrannorum commemoratur antiqua crudelitas, qui mortua vivis, sed humana humanis corporibus conjungebant: canina vero humanis, & hæc episcopalibus membris, nescio utrum quisquam se vel legisse vel audisse unquam commemoret. Hujus ignominiæ memoria adeo Augustinum afficiebat, ut eandem denuo L. IV. contre Cresconium repeteret: Capto seni mortuos canes alligaverunt in collo, & sic cum illo quantum libuit saltaverunt. Hoc si vellem exaggerare dicendo, nonne fortasse hanc pœnam vix tormentis Regum Etruscorum comparandam esse monstrarem. Nonne homo senex, si duobus sibi suppliciis, unde unum subeundum esset, propositis, non potius hæreret cadaveribus hummanis, quam saltare eligeret cum caninis? De Gothis certum est, eos ob Arianismum toleratum propagatumque ab Orthodoxis Canes Gothos appellatos esse, quod dicterium, lingua popularis, pernicitati opitulatura, in Cagotos mutavit aut potius detruncavit. Vid. Sandii Nucl. Hist. Gal. p. 431. Paschasii Disquis. de Gallia L. 8. c. 2. & Petrus de Marca Hist. Bearnii L. 1 c. 16. ubi eos Agots appellat; quos Aubineus Hist. L. 2. c. 8. in Capots, s. Capotos. mutavit. Addatur Greg. Naz. Orat. XXVIII. qua Canes dicuntur, qui illicitis artibus ad Præsulatus prorepserant Non est prætereundum hoc loco Pontificiorum odia in Reformatæ Sectæ socios olim ita exarsisse, ut occisos, canibus ad devorandum projicerent, mox ipsos canes, quasi aliquid hæreticæ labis contraxissent, interficerent, cujus rei Exemplum Aubigneus Hist. Univers. L. XI Cap. 18. sequentibus profert: Le Sieur de Mouvans eté massacré a Draguinan en Provence en haine de sa Religion & son coeur ayent eté jetté aux chiens, en assomma en suite ces memes chiens, comme heretiques, parce qu'ils avoient fait difficulté d'en manger.

V.

Mansit ad nostram ætatem illud e Canis gestatione aut projectatione dedecus, quod cum probo cuidam Sacerdoti Anno R. S. MDCCII. illatum esset, cane mortuo in Sellam Confessionalem conjecto, eaque propter novi tribunalis erectionem petenti, atque illusorem suum gravissimis diris devoventi, prudentissimus Theogorum * dignissimum lectu consilium, eaque propter latina lingva a nobis donatum suppeditavit.

* *Philipp. Jac. Spen. Consiliorum Epistolicorum Parte ult. p. 562.*

Facinus illud ignoti hominis, canem mortuum e fimo trahentis, ejusque cadavere sellam sacris Confessionibus destinatam contaminantis, maximis profecto sceleribus accenseri debet: idque tanto magis, quo minus exinde commodum in patratorem redundat, nisi quod ea re vel damnabile odium, in doctorem suum, vel petulantiam insigni cum malitia conjunctam prodiderit: ut taceam de sacri loci profanatione, cui licet interna aut connata sanctitas tribui nequeat, veneratio tamen ob sacras actiones non deneganda erit: qua sublata profanus patratoris animus inque Numinis contemtum abreptus satis deprehenditur, magna profecto, insignique pœnitentia emendandus, si hujus noxæ veniam consequi voluerit.

Quod si facinus illud remoto cadavere, paucis consciis silentio tegi potuisset, optime quidem honori publico consultum putassem: posteaquam vero illud ad omnium aures non sine magna animorum commotione perlatum fuit: merebatur utique indignitas rei, cujus cum increpatione publica mentio fieret, nempe ut ignotus ille Sacrorum contemtor ad Pœnitentiam, Ecclesiæ Cives, ad animi pariter tranquillitatem, atque eam sapientiam traducerentur, nihil exinde damni sacris ædibus illatum esse.

Quod si ego meas ibi partes agere debuissem, hac sane occasione de publico & immani Confessionis & Absolutionis abusu dixissem, deque damnabili pœnitentiæ simulatione, de furto, quo maxima pars divinam veluti gratiam surripit: quo qui scelere contaminati sunt, omnino faciunt, ut coram tribunali divino, non nisi

anes

canes reputentur, parique scelere involvantur, quo miser ille sacrorum contemtor se contaminavit: quin imo tales putido cane foediores dixissem, a sacris nempe abstinente, qvum impii verbo Dei & reconciliationis, impiis haud quaquam dato, toties abutantur, quoties animo vitiis devoto & devovendo ad Exomologesin & Absolutionem accedunt. Unde non omnino erraverit is, qui existimaverit divina veluti quadam concessione scelus illud perpetratum esse, nempe ut sub facinoris foeditate impii de Confessionis & Absolutionis abusu admoniti, sub tristi exemplo, licet invisum, attamen verum suorum scelerum praeconem haberent. Hac nempe ratione, etsi non omnes, attamen si pauci in se conversi, Absolutionem prudentius petere, canumque impudentiam missam facere didicissent, factum fortassis foret, ut juxta benignam Numinis providentiam, ex gravi scelere boni tamen aliquid prodiisset, locoque scandali non levis animarum emendatio emersisset.

Jam cum illius Ecclesiae Inspector officii sui partes bene impleverit, quod graviter severeque de isto scandalo dixerit, objurgato patratore ceteros adhortans, ut si quis facti conscientiam haberet, indicium faceret: ita ne Diacono quidem, aequalem increpandi auctoritatem habenti, vitio vertendum, quod in idem scelus fuerit invectus, modo perpendisset, sibi, hoc ludibrio sigillatim petito, cautius loquendum, nempe ne in propria causa zelum divinum, ex privati odii instinctu quadammodo adulterasse videri possit. Sane jus illud increpandi illud flagitavit, ut gravitatem facinoris vivis sisteret coloribus, ignotumque peccatorem ad veram malefacti agnitionem deduceret, periculum animae commonstraret, vindictaeque divinae hac ratione provocatae, vicissimque avertendae modos doceret, de commutatione Peccatoris in melius Deo supplex fieret, totamque Christianam Sodalitatem ad idem a Deo postulandum instigaret.

Verum quod ad execrationem e V. Mosis Codice petitam inque caput patratoris devolutam spectat, eam sane vix, ac ne vix quidem cuidam mortalium imprecari vellem: quin imo, altero quopiam id audente, inter abusus verbi divini referrem. Sex

enim tribubus imperatum erat, ut in monte Ebal maledictiones illas in universum efferrent, unde sequitur, factum illud ad singuli cujusdam aut unius hominis execrationem institutum non esse, sed appendicem potius, & partem publicatæ Legis, qua Levitæ certis quibusdam noxis sigillatim nominatis Maledictionem divinam prædicebant, quam populus acclamatione sua solennique plausu ratam habebat.

Eadem ratione Maledictiones Cap. XXVIII. non nisi divinas pœnas denunciant in immorigeros constitutas, quæ maximam partem more fœderis Mosaici, (etiamsi spirituales & æternæ pœnæ non prorsus excludantur) hujus vitæ commodis adversæ erant, eorundemque privationem minabantur. Qua autem ratione ejusmodi pœnæ in peccatores e sacris nostris hodie pronunciari possint, non satis equidem mihi constat. Sive enim illud fiat per imprecationis modum, tum ea, misericordiam Peccatori debitam, precesque potius flagitantem evertet: Sin vero per nudam annunciationem, ea profecto incerta erit, ignaro nempe Sacerdote, quid divina sapientia in Peccatorem decreverit. Ex quo constat, Verbi Præconem homini pertinacius aberranti divinam equidem iram, non vero pœnas temporales a Moyse dictatas comminari posse: illam enim capiti peccatoris instare ac veluti impendere certo asserere potest, has autem, revelatione destitutus, peccatorem insecuturas certo affirmare nequit. Eaque propter illud Diaconi factum bono licet fine susceptum, minasque posteris, & fructui ventris intentatas non probo. Etsi enim oracula divina pandant, justitiam divinam etiam posteros plectere parentumque noxas in stirpe vindicare posse ac velle: attamen dum eam veneramur, temeritatem nihilosecius cavemus, quominus pœnas illas alicui tanquam omnino insistentes denunciemus.

Eadem ratione ductus traditionem Peccatoris in manus Satanæ ad destructionem carnis improbo. Paulus equidem divino Spiritu instructus acerbam istam medicinam incestuoso ad veram animi conversionem salutarem fore prævidens, Apostolica potestate fretus, reum certis legibus Satanæ tradebat. At quum nos ea

pote-

poteſtate deſtituamur, convenit nobis equidem, ut Deum de Peccatorum converſione, ſed ea quæ ipſi placet ratione, ſollicitemus, at viam tantopere duram præſcribere, haud quaquam licet. Etſi igitur in illa Proſphoneſi ad Deum peccatum non ſit, qvum liceat ad publica ſcelera averruncanda querelas in ſinum Dei effundere, eaque profiteri, & reis pœnitentiæ fructus apprecari: tales tamen allocutiones, quæ tanquam dictatoriæ Deo præſcribunt nulla ratione ſunt adhibendæ.

Sin igitur, quod avertat Deus, tale quidpiam impoſterum ſit eventurum, e dictis hactenus conſtabit, quid faciendum, neque propterea novam ſellam extruendam eſſe, priori licet ſordibus quibusdam conſperſa. Interea Deus nos de voluntate ſua, deque ſalutis noſtræ cura edoceat, inque munere nobis impoſito fidos reddat, & omnibus tandem conatibus in honorem ipſius vergentibus per Chriſtum benigniſſime aſpiret. Scr. Menſe Majo. Ao. MDCCII.

VI.

Sed de ludibriis a Cane petitis alii dicent: noſtrum eſt oſtendere, animal iſtud e templo eſſe proturbandum, * nec committendum, ut quo loco Deus ſe peculiari ratione ſe præſentem exhibet, agnique ** immaculati ſacra pertractantur, atque puriſſimæ illius cœleſtisque columbæ domicilium eſt, impurum animal toleretur.

* *De cane e templis proſcribendo multorum forte, præſertim vero gentilium ſuffragia aduerſabuntur, quorum haud pauci Canes ad ædium ſacrarum cuſtodiam adhibuerunt. Quin imo Chriſtianis quibusdam de illa conſuetudine adeo perſuaſum fuit, ut templorum a Canibus cuſtoditorum a Moyſe initium petitum velint. Petrus Daniel Huetius Demonſtr. Evang. Prop. IV. oſtenſurus, qua ratione omnis Hiſtoria Moyſis in fabulas ſit detorta, poſtquam legiſſet a Vulcano æreum canem ſed vivum fabrefactum fuiſſe, per Vulcanum contendit Moyſen eſſe deſignatum, per Canem vero Calebum fidum Cananææ terræ exploratorem: quod ſequentibus verbis explicat: Canum cuſtodia templis appoſita originem trahere videtur a Calebo ad luſtrandam terran Canaam cum aliis miſſo,*

& officio grauiter ac fideliter functo, quem seruum suum ideo Deus agnoscit & appellat. Caleb autem Ebraicæ Canem sonat. Eandem ob causam fabulati sunt Veteres canem vivum ex ære a Vulcano fabricatum, & ita ab arte comparatum, ut nulla eum oblata præda refugeret. Hæc Huetius, cujus quum exquisitam eruditionem alias suspiciamus, merito tamen has argutias omni fundamento destitutas, inter luxuriantis & otio abutentis ingenii ineptias referimus. Quod si Calebus tabernaculi aut templi custodiæ fuisset impositus, aut utrumque istud vel sub Moyse vel sub Salomone a canibus custoditum foret, esset forte ratio, qua ipsi adstipularemur: at quum nullum ejus rei vestigium extet, merito morem illum ad incertam originem referimus, hominibus quippe sua sponte edoctis, ut sua, qua possint sollicitudine tueantur. E multis unicum illud, idemque splendidissimum Urbis Imperatricis templum non sine causa CL. Ryckio sigillatim descriptum liceat citare, quod teste Cicerone, non anserum modo, sed Canum quoque ita assvefactorum curæ demandatum fuit, ut nocte quidem, & quoad tenebræ durarent vel ad levissimum strepitum omnia latratibus implerent: surgentibus vero Solis radiis, conticescerent, profundumque silentium vel cum Pythagora, vel si mavis cum ranis Sisyphiis seruarent. Etsi vero concedamus canes custodiæ templorum adbibitos, a paucis tamen intra templi septa admissos esse demonstrari potest: quin imo exempla sisti possunt, a profanorum quoque templis Canes fuisse proscriptos. De Deliorum non modo templis, sed omni insula Strabo luculentus est testis Libr XI. ουκ εξεστιν ουδε κυνα τρεφειν: quam Legem cum aliis eo spectantibus peculiaris puritatis gratia latam Thucydides confirmat. Romæ Sacellum Herculi in foro Boario sacratum esse, e quo Canes exulent, Solinum auctorem habeo. Hoc sacellum, ait, Herculi in Foro Boario est, in quo argumenta convivii & majestatis remanent. Nam divinitus illo neque canibus, neque muscis ingressus est. Etenim cum visceratiomem sacricolis daret Myiagrum Deum dicitur imprecatus, clavam vero in aditu reliquisse, cujus olfactu refugerent Canes: id usque nunc durat. Quæ verba quum Maresius, Batavorum

vorum Theologus, satis bene commodeque citasset, nescio quid Baylius, Critico fastu plenus, adversus eum quasi minus recte Solinum percepisset, dixerit.

Ne vero solis gentium delubris illud tribuamus, de Christianorum ædificiis religione sacratis constat, ea nonnunquam ab omni Canum accessu diuinitus liberata esse; Id quod vetusti quidam Historiæ Gallicæ scriptores de Catulliaco, primo Reliquiarum S. Dionysii fano jactant; tradunt enim Dagoberto, Chlotarii Regis Filio, miræ magnitudinis cervum persequente, eoque ad Dionysii ædem velut ad aram confugiente, Canes venaticos quasi divina vi cohibitos ad fores templi constitisse, solo latratu officio functos sortem suam deplorasse, quod neque pedum nec dentium robore uti liceret, eoque miraculo Dagobertum commotum, ut ob præsentis ibi divinitatis opinionem, multo illustrius atque splendidius templum in Dionysii cultum exædificaret. Vid. Andr. du Chesne Antiquit. & Recherches de France L. I. p. 252. Cointius Ann. Fr. A. X. 619. §. 14. qui tamen ingenue refert, Henricum Valesium tum aliis grauissimis rationibus inductum hanc fabulam profligasse, tum his præterea, quod Regino Prumiensis, Sigebertus Gemblacensis nullam hujus cervi mentionem faciant: quem tamen vicissim a Bollando in Dissertationibus Dagobertinis refutatum legimus.

Idem privilegium Græci sub Saracenorum imperio degentes suis indultum templis gloriantur, quod Turcæ lepida ratione evertunt dicendo, Canes, Græcis ad prostrationem corporum s. προσκυνησιν ruentibus sibi imaginari, eosdem, lapides, Canum fulgura correpturos, eaque propter celeri sibi fuga consulere. Autorem hujus rei habemus Gvilletum in Lacedæmone Vetere & Nova pag. 232. qui Turcarum Moschcas eodem beneficio frui tradit; putat tamen illam Canum prudentiam e consvetudine oriri; qvum canes juniores fastidium Parentum suorum lapidibus inde abactorum videntes, eandem aversationem facile imitentur.

Jocundum sane lectu est, quod Montanus (du Mont) T. III. Itinerum suorum refert: Sacerdotem quendam Mahumetanum apud Smyrnenses Cani suo ideo iratum, quod sese, Turcas ad preces vocantem, miserabili ejulatu turbaret, cædem intulisse, sed venia

prius

prius a Prætore urbis Turcico impetrata. Du Mont. L. 3. p. 171. Oportebat Canem iſtum Turcicum ad celebre Monaſterium Corbeienſe mitti, quod teſte Paulino tam religioſum canem habuit, ut Miſſam Pontificiam diligenti & venerabili corporis habitu audiret, ſtatos jejuniorum dies obſervaret, omnesque canes laceraret, qui ad templi muros mingere auderent. v. Miſſon Voy. de Italie T. 1. p26.

*** Agni nomine merito Servatorem noſtrum deſignamus, quippe quo Anteſignanus illius Joannes delectatus, alterque Homonymus Evangelii Præco oblata ſibi per viſionem illius ſpecie recreatus eſt, etſi typus agni jam jam impletus eſſet. Unde nimiæ ſubtilitatis arguendi ſunt Concilii Trullani Patres, quando illam Chriſti per agnum delineationem expungi voluerunt, ideo quod poſt πληρωμα τȣ νομȣ το προσχαραγμα ceſſare deberet. Vid. Conc. Trull. Can. LXXXII. ap. Bevereg. T. 1. p. 252.*

VII.

Hujus tamen deſiderii mei rationem non ex ſola Canum impuritate ſpurcitieque depromo: quandoquidem inter alia animantia terreſtria pariter ac volatilia reperiuntur, quæ vel ejecta reſorbent, vel in publico coëunt, vel ſtercore lavantur, & alias ſordium notas habent: ſed e Legibus inſtitutisque divinis, unde plane conſtat, hos utiles alias ædium, gregumque cuſtodes, a ſacris conventibus procul ablegandos. *

* *Id mihi jam tum Phædrus Auguſti libertus præſignificaſſe videtur, in elegantiſſima quidem illa de Canum Legatione ad Jovem fabula, quam ob frequentiam libri, ſimulque ob inſperſas ſordes, indignam iſto loco judicamus, illud tamen exinde conſtituentes, magno ſacrorum contemtu fieri, ſi, quo maxime illa contaminantur, in eorundem conſpectum veniant. Vid. Phædr. Fab. XVI. vel LXXIV.*

VIII.

Quod ad Ebræorum ſacra pertinet, Moſes fidem facit, Cani, receptis licet aliis animantibus, nullum in cenſu focoque ſacro locum relictum eſſe. *Non offeres*, ait, *Canis pretium in Domo Domini Dei tui:* (Deutr. 23, 18.) quæ Legislatoris verba qvum in ancipitem ſenſum

tra-

traherentur, atque Josephus Legum Ebraicarum non optimus undique Interpres aliis a mente Moysis abeundi auctor esset, Joannes Spencerus jure suo usus hos aliosque refellit, commonstravitque, non Canis modo pretium, aut Canum imitatores, sed Canem ipsum a Deo respui, proque abominatione haberi.

Voluerat Deus omnium animantium primogenita certo constituto pretio redimi, solo excepto Cane, idque ob rationes mysticas. Quod quum dudum inter Judæos sacra sua percolentes obtinuisset, Josephus aliam huic Legi Interpretationem dare visus, & nonnullis interque eos Hugoni & Marzillæ, Martinoque Roae a litera abeundi occasionem dedit. Verba Josephi ideo, quod Lorinus ea se non reperisse fateatur, adducimus: μηδ' αν επ' οχευσει κυνος η τοι θηρευτικου η ποιμνιων φυλακος λαβοι τις μισθον, εκ τουτου του θυειν τω θεω. Si quis mercedem pro admissura canis venatici aut pastoralis acceperit, ne inde quidem Deo sacrificare licitum. At ista Mosaicorum verborum interpretatio difficilis admodum aliis ingenio judicioque pollentibus visa, ideo quod non verosimile appareat επ' οχευσει κυνος pretium quoddam petere aut dare, ut de equis, bobus, hircis & aliis animantibus nonnunquam solet: vel si daretur pretium, illud adeo exile fuisse, ut vix aliqua pars inde Deo consecrari posset: tandem majestati divinæ parum decorum, ex fœdo coitu animantium quandam sibi venerationis partem pacisci. Hinc alii Interpretes magis aptam explicandi viam ingressi dixerunt, sub Canis nomine apud Ebræos Cynicum, eumque vel Pædiconem vel Pathicum intelligi, quod jam pridem e nostris Glassius, Theologus plane eruditus, & Fesselius, e Reformatis Tremellius & Pelargus, e Pontificiis Joannis Torres Hispanus, asseruere, quorum postremus opere erudito Hispanice de Philosophia morali scripto Libro XV. egregiam inter luxuriosum hominem & Canem comparationem instituit. Nuper vero Joannes Clericus, in Paraphrasi Deuteronomii, quasi jam de orbis suffragio certus foret, verba Moysis ita circumscripsit: Nulla meretrix inter Israelitidas, nullus Cinœdus inter Adolescentes Israelitas, quasi Numini sacri, inter vos sunto. Quæstum quem corpore fecerint, ut vicini vestri solent, Deo conse-

cratum Sacerdotes ne accipiunto. Quam ut sententiam tanto magis stabiliret, ait primo: Pretium canis primogeniti statutum a Deo exactumque fuisse, idque probare contendit verbis Legislatoris Num. XVII. v. 15. Secundo: congruum esse, ut qvum de communi scortationis specie cum fœminis fuerit dictum, sanciatur etiam de stupro cum masculis perpetrato. Tertio: multas Moysis Leges esse symbolicas neque juxta literas interpretandas. Quarto: tales homines inpuros more oraculorum divinorum Canes fuisse per execrationem dictos. Ne autem Clerico sine exploratione adstipulemur, observamus, non modo parum certum, sed admodum falsum esse, Canem pretio fuisse redemtum neque ex verbis Mosaicis Num. XVII, 15. ob solam amplitudinem Legis statui posse, Canem inter animantia redimenda fuisse comprehensum, cui nempe altera illa exceptione Deuter. XXIII. satis consultum fuit. Præterea temerarium est dicere, omnium rerum, quarum quidem ἀπαρχαὶ dari poterant, reipsa primitias vel decimas fuisse exactas, qvum verosimile sit, divinam Legem tantum ad res bonas, & præstantiores, vitæque humanæ conducibiles fuisse extensam, non ad vilissima quæque & περιψήματα, etiamsi aliquis inde fructus ab hominibus percipi potuisset. Ita si quis tribulos vel spinas ædibus aut hortis circumvallandis aptas, collectas in fasciculos per decimationem Deo obtulisset, rem sane stultam facturus erat. Pari ratione inter animantia viva, sicut ranarum oblatio, suo quodam modo utilium, fuisset inepta, sic etiam Canum: id quod constat ex illusione Pharisæorum, mentham, anethum & cyminum inter decimas offerentium, quos Servator inter τὲς διυλίζοντας τὰ κώνωπα pro sua sapientia retulit, qvum τὰ βαρύτερα τȣ νόμȣ missa faciant: quos inter Clericus referendus, tum Canem animantibus pretio redimendum contra Legislatoris voluntatem accensuit.

Quod ad secundum Clerici munimentum spectat, post stupri fœminei prohibitionem de masculi sexus fœda illusione dicendum fuisse: fatemur istud egregiam quidem speciem præ se ferre, nec tamen omnino stare posse. Moses sane non tenebatur, ut hoc loco de isto scelere ageret, atque nuptis in id, intellectuque ambiguis in-

veheret

veheret verbis, de quo Levit. XX. v. 12. apertis, dirorumque supliciorum minas continentibus satis dixerat. Accedit, quod si hac occasione de pretio Canis, seu lucro pæderastiæ in templum non inferendo egisset, videri potuisset, ipsum probare aut concedere scelus extra templum, etsi reditus inde Deo oblatos spreverit. Qvum enim negari non possit, scorta meritoria inter Judæos invito licet Deo tolerata fuisse sequeretur, ludibria illa sexus potioris pari ratione per conniventiam fuisse concedenda, etiamsi decimæ inde non reciperentur; quod quam impium absurdumque sit dicere, quivis videt.

Tertium Clerici pondus, multas Moysis Leges fuisse symbolicas, etsi non plane aspernemur, ita tamen temperari debet., ut nihilominus fateamur, omnes durante cultu Mosaico ad verbum fuisse præstandas non exclusa licet interpretatione mystica. Unde etsi facile largiamur, sub ista Lege Canes ratione præditos & homines Cynicos notari potuisse, hoc tamen ante omnia statuendum, eam Legem primario ad Canem latrantem, &, ut apertius loquar, naturalem respexisse.

Quarto non inficias imus, homines impuros Canum cognomento fuisse notatos, illud tamen omnino negamus, solos tales hoc nomine venisse. Oracula profecto divina satis ostendunt, torvis, ferocibus, & ab humanitate alienis illud impositum fuisse nomen. v. Ps. XXII. aliquando vero etiam abjectis datum, assumtumve, ut Hasaëli, qui per nimiam animi depressionem Canem sese dicebat, II. Reg. VII. quo loco nemo sanus putaverit, Davidem inter cynædos versatum, aut Hasaëlem ea se infamia aspergere voluisse. Quin imo certum est, probis aliquando hominibus ob expectatam virtutem honoris ergo nomen illud fuisse inditum, ut Calebo: quo literarum sono sin sola Pæderastia, execrabile scelus, describeretur, Parentes sane rem pessimi ominis commisissent, qvum tam fœdum filio suo, ad tantam virtutem excrescenti, nomen imponerent; nec splendida illa Scaligerorum gens passura fuerat, ullum nominis sui Civem Canis Epitheto insigniri: nec celebris illa Dandulorum apud Venetos familia tulisset Franciscum Dandulum ita cognominari,

nari, qvum Reipublicæ gratia catena ferrea collo vinctus, quadrupesque effectus, ad Clementis V. Pontif. R. cœnitantis pedes sese prostravisset. Vid. J. Bapt. Egn. LVI. c. II. Illustr. Venet. & ex eo Andr. Victorel. T. II. Ciac. p. 363.

Hinc itaque fit, ut Bocharto potius adstipulemur, Legem de projiciendo Canis pretio ad verbum interpretanti, beneque admodum hujus facti rationem reddenti, quod Legislatores Tropis & Metaphoris uti non soleant, sed edicta sua verbis propriis efferant, ne ulla subsit æquivocatio. Bochart. Hieroz. P. I. L. 2. c. 56. Tanto autem id libentius facimus, quod Spencero Bocharti sententiam placuisse videamus. Adstipulatur nobis Gvilelmus Saldenus Theolog. Ot. Theol. Exerc. VII. de Pretio Canis inscripta, in quam omnia quidem, quæ de canibus a Rhodiginis Camerariisque dicta sunt, studiose collegit. Ceterum quando putat etiam pro felibus ανταλλαγμα datum fuisse Sect. XIV, id quidem firmioribus rationibus adstruere debebat, antequam illius pretii receptionem tanquam admiratione dignam sisteret.

IX.

Quod si asserti hujus ratio petatur, non errasse putandus est Spencerus, L. II. c. 23. Sect. 2. p. 662. seqq. dum ait, DEum inter Ebræos Ægyptiosque hac etiam Lege discrimen facere voluisse, ideo quod Ægyptii suos intra Deos Canes haberent. Id quod neutiquam ex ingenio finxit, sed certis documentis e Diodoro Siculo Bibl. Hist. L. I. petitis, quibus omnium antiquitatum Varro, Plutarchus adstipulatur, in erudito de Iside & Osiride tractatu docens, Canem non honores solum sed & eosdem maximos apud Ægyptios obtinuisse. Quo loco non negligendum putamus Strabonem Geogr. L. 17. accuratum orbis rituumque humanorum explaratorem, qui & ipse integram præfecturam Cynopolitanam Canis & Anubis cultu celebrem nobis sistit: multo minus Eusebium Cæsariensem, qui in Commentariis ad Esaiam nuper a Bernardo de Montfaucon editis docet, Ægyptiis usitatum fuisse, ut oppidis suis ab animantibus penes se Deorum loco cultis nomina darent, unde a Leone, Leonto, & a cane Cyno nomen acceperit. Vid. Coll. Nov. Patr. T. 2. p. 475. Etsi vero eos Juvenalis Sardonio risu svetisque

cachi-

cachinnis excipiat, nihilominus tamen certum, moriente quodam ex his Diis Caninis Ægyptios raſo univerſo corpore in maximum fletum converſos non aliud luctus ſui remedium niſi in ſplendidiſſimis Canum exequiis quæſiviſſe Herod. Euterp. c. 67.

X.

Graviſſimis hiſce Scriptoribus fidem addunt Nummi canina horum Deorum facie ſignati, quorum ſufficientem copiam illuſtrisſimi Nummorum Interpretes exhibent. De Anube illud adeo certum, ut Lucianus Samoſatenus eundem more ſuo κυνοπρόσωπον ſeu canivultium ſcitiſſima fictione appellaverit. Æſculapium addo, qui juxta Phœnicum lingvam Deum Caninum notat, quo factum, ut apud Romanos in Inſula Tiberina hoc potiſſimum ſodalitio coleretur.

XI.

Quæ cum ita ſint, putari tamen non debet Ægyptiorum magos, adeo fuiſſe ſtolidos, ut Canem ſuo merito venerarentur, ſed exiſtimandum potius, arcanam hujus cultus cauſam extitiſſe: quam Ælianus (Hiſt. L. X. c. 45.) pandit, aſſerendo Canem Ægyptiis ideo ſacrum, quod Aſtro cognomine oriente Nilus fœcunditatis parens excreſcat, pingvedineque ſua omnem campum ad fertilitatem provocet.

XII.

Et hæ quidem rationes ſi ex humano captu negotium ponderes, non inanes erant, quo minus Legiſlatorem ad triſte exilium canibus indicendum propellerent; at qvum recordemur, Bovem ab Ægyptiis divino cultu circumdatum fuiſſe, neque tamen e ſacrificiis Ebraicis projectum, licet ex eo divinare, alias Numini extitiſſe cauſas, ob quas ab omni ſacrorum aditu Canis arceretur.

XIII.

Eundem Canis contemtum in ſacris novi fœderis manſiſſe, figuratæ Servatoris dictiones declarant; neque ſanctum canibus, nec margaritas porcis objiciendas, ut taceam Pauli itidemque Joannis teſtimonia, quorum ille impuros ad vomitum redeuntes, hic vero deſperatos & ab omni ſpe ſalutis alienos iſta ſub imagine ſtitit.

XIV.

Jam qvum plerique Chriſtianorum conventus in templo Synagogisque celebrarentur, locis puritati quam maxime ſacratis, quis crederet impuro animali totque divinis oraculis proſciſſo ullum aditum patuiſſe: quin imo putandum, illam Canis profligationem tanto magis valuiſſe, quanto fortius Chriſtiani Judaicis ceremoniis tum temporis adhuc adhærerent.

Merito mireris neminem Apoſtolorum aut antiquorum Chriſtianorum ſic deſcribi, ut Canem comitem haberent, qvum tamen baculorum calceorum, palliorum, vidulorum, marſupiorum, gladiorum, aſinorum, boum, viperarum mentio fiat. Soli Simoni Mago Petri Apoſtoli obtrectatori canis additur, isque magicus, maloque genio plenus, ideo quod Petrum fuerit allocutus: aut commentitius, & inter nugas referendus. Vid. Mich. Glyc. Annal. p. II. ed. Lab p. 235. Ita namque vir ſummus Gerh. Joh. Voſſ. de Idol. III. c. 44. exiſtimat, omnes illas equorum, boum, picorum, columbarum locutiones ad Linguæ humanæ æqualitatem editas, aut fraudi Diabolicæ, aut Poetarum fictionibus adſcribendas. Quod prudentiſſimum effatum amplector, nec temere arbitror hunc Simonis canem inter figmenta humani ingenii reponendum, quod nunquam ceſſat incredibilia excogitare; exemplo in Cornelio Agrippa obvio cui Diabolus ſub canis ſpecie aſſediſſe cum magna pariter invidia & ſtoliditate a Paulo Jovio, & Theveto. Hiſt. Hom. Illuſtr. fingitur, dignus, ſane cujus famæ Wierus, Naudæus aliique ſuppetias ferrent.

XV.

Ecquis vero putet, Chriſtianos, cum fervente perſecutionum æſtu latebras quærerent, & occultiſſima ratione vel noctis conticinio vel antelucano tempore convenirent, inviſas iſtas, ſilentioque tantopere inimicas umbras ſecum traxiſſe: qvum facillimum foret, canum latratu prodi, eorumque in ſe vertere dentes qui Cybiraticis illis exploratoribus, Verri tantopere caris, & Ciceroni ſub Canum appellatione notatis, multo pejores erant, quorumque inſtinctu canibus in ferali pegmate a Nerone conſtructo exponebantur.

*Fe-

* *Ferale illud pegma seu pontem, in quo Christiani Martyres sacris animantibus, leonibus ursis, apris, canibus subligabantur, eleganter exhibuit Gisbertus Cuperus Notis ad Lactantii de Mortibus Persecutorum Cap. XXI.*

XVI.

Data per Constantinum M. quiete, verosimile est, Christianos jocundam quæsivisse pacem, & ut reliquæ munditiei sectatores erant, ita etiam cavisse, ne impudentes bestiæ turpissimum spectaculum vel coitu vel mictione, vel latratu aut aliis ludibriis dituræ, pias orantium psallentiumque meditationes turbarent. Quod ex accurato Ecclesias accedentium ordine, colligi potest, quos inter οι χειμαζομενοι vel αλογευσαμενοι (ita Canone XVI Concilii Ancyrani dicuntur, qui cum bestiis coeunt, miserrima & execrabilis hominum fæx, jure meritoque flammis adjudicata. De quibus Bevereg. T. 2. ad. Pand. Canonum p. 178) extra Ecclesiam stare jubebantur, ideo quod scelera, brutorum fœdas libidines æquantia commisissent; ex quo judicamus, cani impudentissimo animali tanto minus aditum fuisse concessum.

XVII.

Atque in eo elaborabant Præsules Christiani, ut templa sua non minus sancta haberentur, atque ea quæ gentium idolis quondam consecrata fuissent. Unde non nisi cum veneratione de iisdem locuti, augustum aliquid ipsis absente præsenteque cœtu adesse crediderunt, nec ullam fere eorundem fecere mentionem, quin ea αιδεσιμα τιμης και σεβασματος αξια prædicarent. Vid. Balf. ad Canon. LXXX. Conc. in Trullo habiti.

XVIII.

Hanc sanctitatem ut eo firmius rudioribus persvaderent, insigne quoddam fulcrum per consecrationes solennes adhibuerunt, e qua ceremoniarum multitudine, & obscuritate plebs facile inducebatur, ut re ipsa cœlitus concedi crederet, quod datum sibi peroptabant. Vid. Blast. ap. Bevereg. T. 2. p. 118.

§. XIX.

Sanctorum quoque Martyrum cineres illati fuere, qui veluti Domnædios agerent, ſuique memoria homines turpe aliquod commiſſuros percellerent atque, a peſſimo inſtituto revocarent, vid. Can. Conc. VII. Oecum: apud Bevereg. T. 1. p. 296.

§. XX.

Jam equidem agapæ in ipſa templorum navi celebrabantur, at quum in iisdem liberius nonnulli viverent, unde a ſeverioribus morum magiſtris Cacabarii dicebantur: Tertull. de Jej. Cap. XVII. contingeretque, vel oris vel etiam ventris rejectamenta non procul a Sanctorum reliquiis deponi, conſtitutum ut ad ſervandam templorum ſanctitatem agapæ, jam vetuſtioribus Patribus diſplicentes, plane abolerentur. *

* *Concilium Quiniſextum Can. LXXIV. Non oportet in Dominicis locis eas, quæ dicuntur Agapæ, id eſt, caritates facere & intus in æde comedere, & accubitus ſternere. Qui autem hoc auſi fuerint vel ceſſent, vel ſegregentur. Fatetur Chriſtianus Lupus Iprens. Comment. ad eundem Can. P. II. p. 1008. iſtas Agapas adoleſcentium ac Juvenum fornicationibus ſæpe fuiſſe fœdatas, ideoque tanquam non bonum & ſanctum ritum fuiſſe eliminandum.*

§. XXI.

Pari ratione quum ſacrarum ædium venerationi aliquid deceſſiſſet emtione & venditione rerum edibilium, mox ſolenni Chriſtianorum ſuffragio ſancitum fuit, anathemate percellendum, ſi quis ενδον της εκκλησιας περιβολων, rerum venalium quidpiam expoſuiſſet. Bevereg. T. 2. p. 120. Blaſtar. T. 2. p. 18. & T. 1. p. 243.

§. XXII.

Præterea quum in vaſtioribus templis Clericorum habitationes eſſent, atque illi eo tempore mulieres ſecum haberent: mox iſtam habitationem εν τοις περι την εκκλησιαν ιεροις vetuſti Patres tolerare noluerunt, ratione obvia, ne ex liberiore mulierum contre-

ctatione

ctatione templorum sanctitas contaminaretur. At cum hominibus in templo edere, & alias naturæ actiones alibi non damnabiles, edere interdictum esset, facilis diuinatio, multo majore severitate bruta inde profligata esse.

XXIII.

Et ista quidem per diuinationem atque conjecturam satis probabilem dicuntur, quum munditiës primorum Christianorum, Judæorum singularitati admodum vicina non aliud suadeat. Verum si ad Seculum VII. abeatur, tum vero majora sese documenta offerent, unde constet Canes e templo esse profligatos. Id quod apparebit, si viderimus alia animantia pura, aut a canibus parum differentia, procul ab Ecclesia fuisse remota.

Concilium Constantinopoli in Trullo imperante Justiniano II. habitum de non introducendis in Ecclesiam quibusvis belluis, sequentem in modum tradit: Can. LXXXVIII. μηδεις ενδον του ιερου ναου κτηνος το οιονουν εισαγαγετω, εκτος ει μη τις οδοιπορων μεγιστης καταλαβουσης αναγκης οικισκου και καταγωγης απορων εν τω τοιουτω καταλυση ναω. δια γαρ του μη το κτηνος ενδον εισενεχθηναι, αυτο μεν εστιν οτε διαφθαρησεται· ο δε τη του υποζυγιου αποβολη και το εντευδεν απορως εχειν της επι την οδοιποριαν ορμης θανατου κινδυνω παραδοθησεται. Το γαρ σαββατον δια τον ανθρωπον γενεσθαι εκδιδασκομεθα· ωστε δια παντων προτιμητεαν ηγεισθαι την του ανθρωπου σωτηριαν τε, και ευπαθειαν. ει δε τις φωραθειη χωρις αναγκης, ως ειρηται, κτηνος εισαγειν εν τω ιερω, ει μεν κληρικος ειη, καθαιρεισθω· ει δε λαικος, αφοριζεσθω. *Nemo infra sacras ædes quodvis jumentum inducat: nisi forte viator quispiam maxime urgente necessitate domuncula vel diversorio indigens in id templum diverterit. Nisi enim jumentum introductum fuerit, ipsum quidem nonnunquam interibit: hic vero propter jumenti amissionem, & facultatis ad iter peragendum ex eo profectam inopiam mortis periculo subjacebit. Si quis autem deprehensus fuerit sine necessitate jumentum in templum introducere, si sit quidem Clericus, deponatur, sin vero Laicus, segregetur. Huc usque Canonis verba, quæ accurate observavit Joannes Chrysostomus, qui licet ad templum usque equo veheretur, illum tamen ad vestibulum stare jubebat,* προ της πυλης κελευσας στηναι. *v. Pallad. ed. Paris. p. 902.*

XXIV.

Sed meretur Canon qui accuratius inſpiciatur, quo nempe ex iſta animantium puriorum prohibitione tanto validius canum proturbationem aſſeramus.

Patres igitur e templo faceſſere jubent κτηνος το οιονεν, quodvis jumentum, ſub quo nomine pecus præcipue arcuatum comprehenditur. Unde Balſamon majorum mentem egregie perſcrutatus ſub vocabulo κτηνος, ιππους και τα υποζυγια, adſtipulante Zonara, deſignat. Cauſas excluſionis addit, ινα μη το αγιον δια των εκκρισεων βεβηλωθη: ne ſanctum per excrementa prophanetur. Deinde vero Patres quadantenus permittunt jumenta templis induci, nec tamen promiſcue, ſed εν αναγκη μεγιστη, εν απορια καταγωγης. εν κινδυνω θανατου, tum homini tum animali impendentis: præter neceſſitatem vero id neutiquam fieri voluerunt. Quod ita Balſamon explicat, ſi metuenda ſit ſub dio pernoctantibus υπερβολικη καταψυξις, aut inſtet θανατοφορος κακωσις. Neque tamen id concedi vult promiſcue, addita ratione, quod non deceat κοινοποιειν και βεβηλουν τον αγιον ναον του θεου.

Ex hac ſevera Patrum diſciplina judicare licet, quantum a vetuſto more diſcedant equeſtris aut conſularis quandoque ordinis homines, dum exuvias ſuas equis curru junctis in ipſum templum per ambitionem devehi curant, quaſi non ſufficeret, homines tanto honoratiores, lecticam ſubire, lacrymasque fundere, niſi etiam bruta animantia ſuas cum iisdem ſordes commiſceant.

XXV.

Itaque qvum Lex ſcripta eſſet de jumentis quibuscunque in Eccleſiam non admittendis: ex ea ſequiores bona argumentandi ratione ſtatuerunt, ne volucres quidem, perdices ſcilicet, columbas & paſſeres eſſe in Eccleſiam admittendas. Ita namque Balſamon citatum Concilii Trullani Canonem interpretatus quærit: Quid vero alacas volucres, an quis citra ullam diſtinctionem in templum introducet? reſpondet: ουδε ταυτα: nempe ne ſanctum excrementis prophanetur. Etenim invaluerat tum conſvetudo columbas aliasque minores aves per Eccleſiam dimittendi, quod potiſſimum tempore Pentecoſtali fieri ſolebat, teſtibus Joanne Abrincenſi, & Ri-

tualibus Sylvanectensi & Turonensi ab Edmundo Martene Libro de antiqua Ecclesiæ disciplina Cap. XXXVIII. adductis. Sed quod Ecclesia Occidentalis probabat, illud improbabat Orientalis, unde Balsamon *νομιζω οτι κακως ποιουσιν οι επ εκκλησιαν περιστερας απολυοντες αντι πνευματος αγιου επιδημιας.* Cui Martenius adversum tenet morem laudando, & ad plebis instructionem augendamque devotionem referendo: conatu admodum inani, qvum nullum plane ex puerili lusu commodum, multo autem potius illa Balsamoni suspecta *εκκρισις*, & sacrorum conspurcatio expectanda esset.

Prodiit nuper apud Helmestadienses erudita & curiosa de columbis in Ecclesia Græca & Latina usitatis moderante illustri & summe Reverendo Abbate G. Andr. Smidio Dissertatio, cui in grata mentis tesseram hanc nostram symbolam addimus.

XXVI.

Tandem Cani Ecclesiarum impudentissimo profanatori dies dicta est in Concilio Aquisgranensi Anno Servatoris DCCLXXXIX. habito, solennique patrum suffragio e templo profligatus fuit. Verba Canonis hæc sunt: *Placuit admonere reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat, per suam parochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem simul & altaria secundum dignitatem suam venerentur, & non sit domus Dei & Altaria sacrata pervia canibus.* Observare licet duo potissimum imperari: altarium venerationem: Canum proscriptionem. Templa nempe eo tempore aperta, aut talibus januis munita erant, quæ ab unoquoque accedentium facile aperiri possent, si quis præter statas orandi vices ea adire votaque ac preces concipere vellet. At mira illius temporis tum & sequiorum seculorum homines vindicta occuparat, ut si minus voti sui compotes fierent, corriperent Christi aliorumque sanctorum statuas easq; spinis in pœnæ vicem cingerent, aras vero etiam irreligioso modo flagellarent. Quod ideo adducendum ducimus, quod accuratus alias ararum descriptor Vogtius istum morem non plene adduxerit. Nos eum ex Mabillonii Præfatione ad Secul. II. Bened. Sectione XLVIII. ipsius verbis proferemus: Si quid furti in Oratoriis, in quibus sanctorum reliquiæ continebantur, accidisset, solebant antiqui sanctos ipsos ad rei amissæ restitutionem non tam

Oratione, quam pia violentia adigere. Alii id præſtabant *altarium nudatione*, ut S. Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus, qui ob prædia Monaſterio ſuo ablata ſancta nudavit altaria, & ciliciis induit ea. Alii Luminum extinctione, ut Chriſtianus, ædituus Floriacenſis qui ob agrum; Eccleſiæ ſubtractum mane facto accedit ad Lychnos qui de camera Eccleſiæ dependebant, extendensque virgam quam tenebat, effregit cunctos. v. Greg. Tur. de Glor. Mart. cap. LXXIX. Alii reliquias ſanctorum vel ſanctorum imagines in terram aut in ſpinas deponebant. v. Chronographus Senonenſis L. V. c. VII. Qvum Dominus de Salmis res Eccleſiæ Senonenſis diriperet, Monachi conſilio Gilonis Epiſcopi Tullenſis, imagines redemtoris noſtri & etiam beatiſſimi Simeonis Confeſſoris de locis ſuis ad terram ſuper ſpinas depoſuerunt. Denique S. Eligius inſtar comminantis ad S. Columbam, cui Oratorium conſtruxerat, ſic Orationem direxiſſe legitur: L. 2. Vit. C. XXX. Niſi cito ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem ſpinis allatis faciam hanc januam ita obſerari, ut nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie. Ita Mauricius Rotomagenſis Epiſcopus ob occupata bona Eccleſiæ præcepit omnes & ſingulas B. Virginis & Chriſti Domini imagines in tota dioeceſi ſua ſuper cathedram aut ſellam aliquam deponi ſpiniſque circumdari, qua de re ejus extat epiſtola in Spicilegio Dacheriano T. 2. p. 521.

Huc usque Mabillonius, Sec. III. p. II. p. 104. Nos e propria lectione quædam ejusmodi profanationis altarium exempla promimus: In vita Germani Epiſcopi Pariſienſis legitur, quosdam colonos e vico Corboilo ad Eccleſiam ejus acceſſiſſe, altare ſpoliantes verberaſſe. In vita Benedicti a Tortario ſcripta, mulier quædam in territorio Portiano ad aram accedit, ſublatisque quibus operiebatur linteis altare diutiſſime flagris cecidit, increpans quaſi præſentem Patrem Benedictum his verbis: Benedicte vetuſtiſſime, piger, letargice, quid agis? ut quid dormitas? quid tuos tantis ſubjacere ſervos improperiis ſinis? Ad quæ verba Mabillonius, qui antea irreverentiam, *Piam violentiam* dixerat, ſui oblitus exclamat: Hæccine eſt religio? ſed ſic ferebant illa tempora. Mabill. p. II. p. 393. Jam ut Patres Aquisgranenſes malo ſuo tempore jam gliſcenti

obviam irent, primo quidem de reverentia altarium sanxerunt, idque tanto magis, quod viderent istam flagellationem non nisi e Gentibus Idola sua quarumvis contumeliarum genere aspergentibus ortum traxisse. Quos tandem Gregorius X. imitatus, in Lugdunensi Concilio Generali, Decret. VI. de Off. Ord. c. si Canon: qvum nondum exaruisse impium morem cerneret, reprobavit detestabilem abusum horrendæ indevotionis eorum, qui, Crucis, B. Virg. Mariæ, aliorumque sanctorum imagines irreverenti ausu tractantes eas in aggravationem cessationis prosternunt in terram, & urticis spinisque supponunt. Altera Canonis Aquisgranensis pars Canibus exilium bene admodum imponebat: nam ex prioribus illis Patrum sanctionibus satis edocti erant, templa in Campos Caninos, quales inter Rhætiam & agrum Mediolanensem Ammianus Marcellinus L.V. & Apollinaris Sidonius Carm. V. v. 177. & Gregorius Hist Fr. l. X. c. 3. deprehenderunt, neutiquam convertenda esse. Non placet in hujus Canonis explicatione *Christianus Lupus Yprensis*, quamvis in Canonibus enodandis dictaturam sibi quodammodo vindicet, ita enim colligit: *Si canibus accessus denegatur, tanto minus jumentis;* magno sane errore neglectuque Patrum Aquisgranensium: qui cum viderent a majoribus ne jumentis quidem aditum ad templa concessum esse, tanto minus eundem canibus concedendum statuerunt, quippe qui jumentis multo salaciores impurioresque essent. Unde invertenda potius ejus sententia: Si jumentis olim accessus denegatus, tanto minus canibus aditus patebit.

XXVII.

Jam si rationes petantur, quibus Patres illi ad eam Legem processerint, haudquaquam erraverim dicendo impuritatem, & maximam illam omnia conspurcandi libidinem in hoc animali ipsis ante oculos versatam. At enim vero, majores nostri adeo casti fuere, ut ne hominum quidem sordes in exteriore templi ambitu tolerarent. Unde Theodosius Augustus in Lege Asyli Ecclesiastici confirmatoria: Dei templum, ait, humana naturalique necessitate fœdari, & sacrosancta mysteria infami infirmitate misceri, ac divina a profanis contaminari, sacra denique a profanis inquinari haud

patimur. Refertque præterea Theodoretus H.E. l.3. c.2. quendam Juliani Apoſtatæ ſervum ad altaria mingere auſum divino ſupplicio mox proſtratum: Chryſoſtomus Maximinianum ob fœdum calicis ſacri ludibrium, vermium corroſioni cœlitus deſtinatum: Flodoardus quendam ſervum ob idem templo illatum dedecus terribili ſpectaculo deterritum: ut alia taceam quibus ejusmodi ſordes templo parum aptas eſſe Numen declaravit. Neque tamen negari poteſt, Patres ad fœdam canum libidinem reſpexiſſe, qvam impune procaciſſimis ſubſeſſionibus exercent, nec raro immundarum cogitationum adultis æque atque tenerioribus fomitem præbent: quo ſæpe factum, ut miſeri nonnulli ex utroque ſexu ad fœdum libidinis cum iisdem animantibus experimentum ſolicitarentur, teſte epiſtola Rabani Abbatis Fuldenſis ad Reginboldum, Chorepiſcopum Moguntinum, a Baluzio Appendici Capitularium indita T. II. p. 1378.

XXVIII.

Quantopere autem hanc Legem obſervari vellent, iis præterea ſanctionibus declararunt, quibus Sacerdotali ordini, ne canes aleret, penitus interdictum fuit; vix enim evitari poſſe putabant, quin canes ſacerdotibus familiares, ipſis ad ſacra prodeuntibus, ſimul irreperent, ſacrasque inde actiones varia ratione conturbarent. Extat Concilii Matisconenſis Ao. D LXXXV. habiti Canon XIII. Volumus quod epiſcopalis domus, quæ ad hoc Deo favente inſtituta eſt, ut ſine perſonarum acceptione omnes in hoſpitalitate recipiat, Canes non habeat. Cuſtodienda eſt epiſcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morſibus venenoſis. Ubi igitur Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare. Transmitto ceteras Conciliorum Sanctiones, e Matisconenſi hauſtas, nempe Conc. Sveſſ. Capit. III. Wormatienſis Anno DCCCLXVIII. Canon XVII. & Bituricenſis Can. LXIV. Id ſilentio involvi nequit, Epiſcopos vel ob ſolos cum cane luſus habitos a Præſulatu remotos eſſe. Exemplum extat apud Othlonum Monachum Benedictinum in vita S. Bonifacii ad Monachos Fuldenſes ſcripta Lib. I. cap. XXXVIII. Sec. III. Bened. P. II. p. 52. de Gewiliebo, Epiſcopo Moguntino, cujus nomen Germanicum donandi promtitudinem ſignificans Lehheus mira contorſione in *Ger-*

vilionem mutavit. Is postquam a Bonifacio de homicidio accusatus esset, neque illud inter crimina recipi vellet, ideo quod justa de causa, justoque bello, cui Episcopos tum interesse moris erat, perpetratum foret, *ad hæc ei objecit, propriis oculis se perspexisse, illum cum avibus canibusque jocantem, quod Episcopo nullatenus liceret.* Quæ audiens Gewilieb, sentiensque se nullo modo contra stimulum calcitrare posse, judicio consentit communi, depositusque est ab ordine episcopali. Quo deposito statim Bonifacius Ecclesiæ Moguntinæ præficitur. Hæc Othlomus mirante Mabillonio, notamque margini addente, idque merito, cum deinceps maximi quique Abbates & Pontifices, canes tum inter vates suos, tum delicias retulerint. Sic enim tradunt S. Ludgerum canis sui potissimum ductu Helmestadium condidisse, quæ historia picturis fenestrarum indita fuit, qvum ea de re taceant ceteri Ludgeriani præcones, & Helmestadium longe ante Ludgerum extitisse contendant. Delicias vero Pontificum e canibus perceptas Jo. Antonius Campanus Carminum L. VIII. exhibet, quo Pauli II. Pontif. Romani Catellam Zacharinam sequentibus describit:

Zacharina mihi nomen fuit, alba catella,
Credebam Scythicam vincere posse nivem.
Pontificis Pauli tectis nutrita secundi,
Digna cibo sacro, digna sacris ædibus.
Hujus ego curas cauda, gestuque levabam,
Lætitium pedibus, auribus, ore ferens.
Occubui senio, nec me servare cadentem
Christophori medicæ prævaluere manus.
Ille mihi quicquid potuit modo, præstitit, at me
Absumpsit, fato plus operante, dies.
Cetera concurrunt medicamina: tempus & anni
Fomentum nullis artibus accipiunt.

Meretur illud Campani carmen quod studiose legatur, qvum arcana illa & interior Pontificum vita & ipsius potissimum Pauli II. quam Platina multo rectius ac Massonius descripsit, non parum explanari possit. Hic enim unicum illud virtutis Paulinæ documentum refert, quod fuerit Venetus & senex, quasi non inter Venetos minus

pru-

prudentes, & inter Senes deliri esse queant. Certe ex hoc Campani carmine constat, Paulum II. antiquos Patrum Canones de non alendis Canibus conculcasse, & Zacharinam sacro cibo, sacrisque ædibus dignam habuisse. Deinde curarum solatium in cauda canina quæsivisse, porro saluti Canis medicum præfecisse, quem multo rectius hominum Saluti adhibuisset: ac tandem canem sepulchro honorasse. Quæ sane non minor erat levitas, quam cum pulchritudinis suæ admirator, in Pontificem lectus, Formosus appellari summopere gestiret. De Sacerdote quantum a canum & venationis studio abesse debeat. nuper eruditus Galliæ JureConsultus Michael du Perray explicuit libro Gallico de statu & capacitate Ecclesiasticorum hominum ad obtinenda Beneficia L.V. c.2. p. 459.

XXIX.

Ex his igitur constat, Veteres omnem Ecclesiæ aditum canibus præclusisse: restat, ut paucis videamus, qua ratione, si qua irrepserint, eos inde profligarint. Mirabilem sane modum in Homilia Cæsarii Arelatensis, X. quæ & ipsa Augustino adscribitur, ideoque ab Editoribus Benedictinis in Appendicem Tom. V. num CCCXIII refertur deprehendimus: Vult enim Cæsarius, Dominum vel possessorem Canis ideo flagris cædi. *Hoc*, ait, *considera, si in templo Dei de lignis & lapidibus facto, quisque porcos vel canes introducat, aut lutum mittat, aut stercora spargat, ut illum, perquem ista negligentia facta est, flagellari velimus.* Sunt sane ista Cæsarii verba aliquantisper ambigua, ut non satis certo affirmari queat, an populi clamor, hominem canem adducentem, ad flagra poposcerit, an vero illa flagellatio ex Canonum aut Episcoporum decreto fuerit facta. Posterius tamen nobis verosimilius videtur, præsertim qvum Cæsarius multis Præsulum conventibus adfuerit, atque eodem seculo tale quidpiam de Canibus apud Græcos fuerit statutum. Quod si verum fateri velimus, mos ille quidem nobis præstantissimus videtur, modo enim bis terve ejusmodi exempla statuerentur, illive qui non alios sodales nisi Canes secum adducunt, probe fustigarentur, spes sane foret, omnes brevi Canes nulla adhibita sacrorum Lorariorum opera, sic enim κυνομαστιγες appellare placet, e templo exulaturos. Sed expeditiorem viam in nonnullorum Sanctorum vitis deprehendimus.

Fue-

Fuere qui ſolo Crucis ſigno omnes a ſe procul Canes ablegari poſſe crederent. Quod in vita S. Coëmgeni, Abbatis Glindlacenſis in Hibernia, quam ex MS. Hugonis Wardæi Hiſtoriographi Sanctoum ediderunt, legitur. T. 1. Junii p. 310. *Ecce canes ferociſſimi & horribiles occurrerunt ei volentes eum comedere: ſed ſignans S. Coëmgenus contra impetum canum ipſi mitiſſimi effecti diffugerunt.* Verum ut taceam iſta Coëmgeni acta admodum eſſe ſuſpecta vel ipſis eorundem auctoribus id confitentibus: præterea quoq; notum ſit, pleraq; per ſignum crucis patrata miracula præſertim recentiorum temporum non minus eſſe conficta atque illa fabula, qua *praeunte crucis* ſigno inſignem victoriam Conſtantinus obtinuiſſe dicitur: ubi victoriam quidem veram, Crucis apparitionem falſam eſſe Cornelius Tollius Præfatione Gallica ad Longinum περι υψυς argumentis non contemnendis probat: unde ſi quæ tempeſtates per ipſam averſæ, incendia extincta, urſi, lupiq; fugati, ferociores equi domiti, aut alia leguntur, ea heroicam omnino fidem ſibi requirant; Nobis tamen ſatius videretur canes non crucis ſigno, ſed baculis decuſſatim impactis abigi, quod ſane multo validius ad imperandam fugam futurum, quam ſi centies crux oſtentaretur. Cæterum multa paſſim obſervantur de magica quadam animantium tædioſorum profligatione, quam primis Chriſtianis non admodum inſolentem fuiſſe, Conſtantini M. exemplum docet, qui, poſtquam Apollonius Thyaneus, multo quidem hoc Imperatore vetuſtior, ejusmodi ſtatuas averruncatrices in urbe adhuc Byzantina in uſum poſteritatis diſpoſuiſſet, illas non ſolum non dejecit, ſed inſigni cura ſervavit, donec a Baſilio Macedone everterentur. Teſtis Codinus de Originibus Urbis Cap. LXIII. LXXVII. inprimis Cap CXXIX. *aſſerens, æreum culicem & muſcam & alia inſecta ſupra occidentalem arcum Tauri fuiſſe diſpoſita, quæ quamdiu permanſerint integra, nec muſcas, nec pulices nec culices urbem intraſſe, quoad tandem a Baſilio Macedone εξ οικιας αγνοιας dejicerentur.* Ubi notes, Codinum his verbis a Latino Interprete omiſſis ſuam de his ſtatuis apoteleſmaticis ſententiam tuliſſe, earumque uſum non admodum obſcure approbaſſe.

XXX.

Mirum est a majoribus, adversus canes Ecclesiam intrantes, diras & execrationes non fuisse adhibitas, quas admodum olim fuisse solennes Felix Malleolus tractatu de exorcismis dudum asseruit, & Patrum ætate Martinus Del Rio in Disquisitionibus Magicis defendit. Harum quippe execrationum ope Episcopi Lausanenses anguillas & sangvisugas e Lacu Lemano abegerunt, quin imo etiam Bruchos agrorum deprædatores iteratis vicibus citatos, tandem ex omni ditione sua Interprete Bernhardo Schmidio ejecerunt, cujus festivam ad Bruchos Parænesin e Theobaldo Schillingio Stetlerus refert, nosque delectationis gratia inserimus:

Du unvernünfftige unvollkommene Creatur, mit Nahmen Inger, und nenne dich darum unvollkommen, denn deine Geschlechte ist nicht geseyn in der Arche Noá, in der Zeit der Vergifftung und Plage des Wassergusses. Nun hast du mit deinem Anhang grossen Schaden gethan im Erdreich, und auff dem Erdreich einen grossen Abbruch zeitlicher Nahruug der Menschen und unvernünfftigen Thieren. Und von daß nun, sämtliches und dergleichen, durch euch und euren Anhang nicht mehr beschehe, so hat mir mein gnädiger Herr und Bischoff zu Losann gebothen, euch in seinem Nahmen zu ermahnen, zu weichen und abzustehen: Und also von seiner Gnaden Gebote wegen, und auch in seinem Nahmen, als ob stehet, und bey Krafft der heiligen und hochgelobten Dreyfaltigkeit, und durch Krafft und verdienen des Menschlichen Geschlechts Erlösers unsers Behalters JESU Christi, und bey Krafft und Gehorsamkeit der heiligen Kirchen, gebiete und ermahne ich euch in Sechs der nächsten Tagen zu weichen, alle und jegliche besonders, aus allen Matten, Aeckern, Gärten, Feldern, Weiden, Bäumen, Kräutern, und von allen Oertern denen wachsenden und entspringenden Nahrungen der Menschen und der Thieren, an die Ort und Stätte euch fügend, daß ihr mit eurem Anhang nimmer keinen Schaden vollbringen mögen, an den Früchten und Nahrungen der Menschen und Thieren, heimlich noch öffentlich. Wäre aber Sach, daß ihr dieser Ermahnung und Gebot nicht nachgiengen, oder nachfolgeten, und meyneten Ursach zu haben, das nicht zu erfüllen, so ermahne ich euch als vor, und lade und citire euch bey Krafft und Gehorsamkeit der heiligen Kirche am 6. Tage nach dieser Execution, so

es

es 1. schlägt, nach Mittag gen Wifflisburg, euch zu verantworten, oder durch euren Fürsprecher Antwort zu geben vor meinem gnädigen Herrn von Losann, oder seinem Vicario und Stadthalter, und wird darauff mein gnädiger Herr von Losann oder sein Stadthalter nach Ordnung der Rechten wider euch, mit Verfluchung und Beschwerung handeln, als sich denn in solchen gebühret nach Form und Gestalt des Rechten. Lieben Kind, ich begehre von euch zu beten mit Andacht auff euren Knien 3. Pater noster und Ave Maria der hohen heiligen Dreyfaltigkeit zu Lob und Ehr, anzuruffen, und zu bitten, ihre Gnade und Hülffe zu senden, damit die Inger vertrieben werden. Stetlerus L. VI. p. 218.

XXXI.

Poterant ista nonnullis placere, nec tamen omnibus: unde vix ullum deprehendimus exemplum, flagellationem a Cæsario laudatam in aliquo fuisse peractam, qvum etiam inscio & invito homini canis adhærere posset: nec istam sanctissimam Crucem contra quempiam Canem prolatam, nec magicas artes exertas legimus. Itaque restat, eos, consveta hominum opera, nempe minis & verberibus fuisse protrusos, vel in Ecclesia quosdam constitutos, qui destinato consilio latrantes illas umbras propellerent, ac proturbarent.

Quod si quæramus, quibusnam januarum sacrarum cura fuerit commissa, S. Maximus equidem in Cap. V. Dionysii Areopagitæ notat, Diaconos primis Ecclesiæ temporibus eas custodiisse, cui Pachymeres suffragatur. Ecquis vero putet Diaconos majori Ordini semper accensos tam vile officium *Canis propellendi* subiisse? præsertim qvum Christiani fideles primorum seculorum, ipsam hanc curam gesserint, quo minus quidpiam profani ad sacras ædes adduceretur. Paulo autem post, qvum major majestatis moles ordini Hierarchico circumjiceretur, & varii ministrantium ordines constituerentur: tum quidem de certis ostiariis legimus minori Ordini adscriptis, & ad viliora obsequia destinatis, quibus dedecorum non erat, canum aures vellicare, injectaque Vite, cruentum discessus signum dare.

XXXII.

Neque tamen diffiteri possum, me inter omnes ceremonias, quæ

in ordinatione Oſtiariorum in variis iisque antiquiſſimis libris Pontificalibus reperiuntur, nihil de mandata Canum profligatione oſtiariis impoſita deprehendiſſe, qvum ſolum oſtium Eccleſiæ ipſis tradatur, facultasque introducendi juſtos, & rejiciendi indignos, Claves etiam oſtendantur: Cymbala & Campanæ, una cum eorundem funibus manibus eorum inſerantur, aſſidua horarum obſervatio injungatur, alto ubique de Cane ſilentio, niſi quis dicat, Canes ſub Indignorum rejectione comprehenſos. vid. Libr. Pontif. Salisburg. Mogunt. Turon. ap. Marten. de Antiqu. Eccl. Rit. T. 2.

XXXIII.

Noſtra ætas noſtrarumque Eccleſiarum ευταξια viros quosdam, alias egenos, ſtipendioque ſufficienti conductos conſtituit, qui pila ſua in Canes vibrent, qui tamen ſæpe ſegnes, deque officio ſuo quodammodo erubeſcentes, ſuas non admodum bene partes peragunt. Ex quo fit, ut Canes, præſertim qvum templum non nimis plenum fuerit, turbas agant, fœdos exerceant ludos, homines etiam ſacras actiones peragentes, & ob venerationem pene immobiles, matronarum quoque & virginum veſtes & ſyrmata fœdo liquore conſpergant: dum interea iſti Lorarii de viatico, ab exeuntibus extorquendo, cogitant, quos ab injuria canum tueri debebant.

Alibi vidi limina templorum impresſis fosſis excavata, cratesque ferreas impoſitas, inani commento, qvum foſſæ cito admodum ſordibus repleantur, Canes autem plusquam Romulea impudentia crates illas tranſiliant, hominumque ingeniis illudant.

Non diſplicuit mos in Metropoli Bohemarum receptus, ubi ante unamquamque Eccleſiæ januam duæ Vetulæ, e ſtipe ſacra viventes, virgis armatæ asſident, Canibusque fuſtigationem minantur. Quod ſane Amazonibus illis, quæ juxta oraculum canem e fornace elicere non poſſunt, neque difficile, nec dedecorum: quin imo meliorem hac expeditione operam Eccleſiæ præſtant, quam, ſi ſomnolentæ & deſides intra Templi ambitum commorentur.

Typis ZEIDLERIANIS, ANNO M DCC XII.